

NVMVS CASTRENSIS

CAROLI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ:

Cusus post eladem Turcis, Austriæ fines de-
prædantibus, illatam, Anno
Christi 1566.



Vrcæ hoc eodem anno, in finibus Pannoniæ frequentes procurrebant ad fines usque Austriacos, & ad Pessium: cum Joannes Transylvanus cum Pannonibus copiis & Scythicis, trajecto fluvio Tibisco, populabundus agrum Austriacum hostiliter etiam devastaret. Sed Carolus Archidux Austriæ non solum magnificentiâ animi & probitate clarus: verum etiam fortitudine & peritiâ rei bellicæ insignis, cum triginta armatorum millia collegisset, non patitur suos impunè vexari: hostem fortiter sustinet, frequentibus incursionibus & ipse vexat: bonamque partem suarum copiarum mittit superiorem Mysiam versas, Florelio Turrio duce: quæ copię magna alacritate regionem ingressæ, in Illyrium usque procurrunt. Bosniæ præfectus auditis his incursionibus exiens ad eas impediendas, multa armatorum millia educit, Savumque flumen traiecit. Harum copiarum adventu Caroli copię relictâ oppugnatione Argiruti, primam aciem hostium mira alacritate adoriuntur, atque in fugam vertunt, præfectum illarum copiarum vulneratum capiunt: omnes Turcas trucidant. Bannus ex altera parte cum ad oppidum Solonen accessisset, quatuor Turcarum millia haber obvia: cum iis prælium committit: magnam partem trucidat: reliquos dissipatos, partim capit, partim in proxima castella compellit: victorias obtinet memorabiles alias, cum militem suum Duobus Turri Georgio & Turri ferreo conjunxisset. Monet serenissimi Principis symbolum, fortiter periclitandam esse fortunam: eò quod id genus hominibus fortuna quasi faveat: infensa iis, qui nihil audent experiri: sed veluti cochleæ perpetuo latent intrate-

stas. Comes Natalis. Erasmus in
Adagijs.